

Letter 51: 25 July [1520], Leipzig, Christoph Hegendorf to Capito

The manuscript of this letter is in Ki.Ar. 25a, #54 in the Universitätsbibliothek, Basel.

Doctissimo viro Fabricio Capitoni s.d.

5 Nae ego, mi doctissime Capito, ex eorum grege sum qui, si semel alicuius liberalitatem experti sunt, subinde redeunt atque eandem liberalitatem expectantes, non [gr.] paroimian en thymo echontes thyraze Kares ouk et'anthesteria. Ego siquidem a te semel liberalissime tractatus tantum abest ut mihi satisfactum putarim, ut etiam Hallis agens te domi tuae in literis occupatissimum subinde interpellerim, et iam literis plane illiteratis tibi negocium facessere incipiam. O mi Capito, quid dares, quod talem hospitem, qui adeo facile se invitari sinit, non tam liberaliter tractasses? Credo, non ita crebro in literarum ocio turbareris. Sed quid facias? Ego semel frontem perfricavi, nolis velis adsum, etsi non semper gratus adeo, at gratum esse animum, iudico, meum. Tum me illud in trivio iactatum consolatur quo dicitur, si non ita libenter me adeuntem, at libentius abeuntem videbit.

10 En, adest Christophorus, hospes ille importunus te salutatur, tibi absens gratias agit quod se tum obscuri nominis et non unquam de facie cognitum cunctis beneficiis tantum non adobruisti, se tibi totum, quantus quantus est, mancipat, nec vel in nexum ire vel [gr.] soi enechyrasasthai recusans se omnia quae tibi debet dissolvere non poterit. Sed quid hec! Et Mosellanum et Philippum Neuenianum tuo nomine salutavi. [gr.] O popoi, homines gaudio exilire vidisses, nec iniuria! Quis enim non totus gaudio subsaltaret dum a Capitone, hoc est, homine et doctissimo et humanissimo salutaretur. Et cum aliud in te conferre possent nihil, te vicissim resalutant.

15 Bene vale [gr.] en Christo; lakonizein kai autoschediazein coactus sum quoniam nuntius me urgebat. Adventum tuum summis votis desideramus. Vale iterum.

Datum Lipsie, octavo Kalendas Augusti. Omnes mei te salutant, imprimis Hieronymus Schutz adolescens miro ingenio.

Christophorus Hegendorffius.

25 Vive caput nostrum, Capito doctissime, vive, vive vale Christo, vive vale studiis. [Gr.] palin graphe hotan ouk dyscheres estin.
Ex collegio principis.